

45.

DE O D U C E  
M E D I T A T I O S . E V A N G E L I I .

FERIÆ TERTIÆ  
**PENTECOSTES**

Additis S. Patrum dictis, Quæstio-

numq; aliquot decisione, ad uberiorem textus, cùm opus est,  
explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M

*In Regia Aboënsi Academia.*

P R A E S I D E

**D N . A E S C H I L L O P E T R A E O**  
S. S. Theol. Doct. Profess. & Civitatis ejusdem Pastore.

*Examini subjicit, in Auditorio Majori, horis solitis  
Ad diem 22 Novemb; Anni 1651.*

**J OHANNES M ATTIIÆ F RAXENIUS**  
N E R I C I E N S I S .

(A)

*Theophyl; in Ioh.*  
Quia in Spiritu Sancto intelliguntur & aperiuntur scripturæ ostium nobis Christum, mes-  
rit ostiarius Spiritus Sanctus in quo ut Spiritus sapientiae & scientiae aperiuntur  
scripturæ, per quas ingreditur Dominus ad nostri curam & per quas ostendis-  
tur pastor.

(B)

*August: Tract: 46. in Ioh.*

*N*e Maior æstimetur ostiarius esse quam ostium quia in domibus hominum ostiarius  
ostio, non ostium præponitur ostiario.

A B O Æ

---

*Excusbat Petrus Wald/ Acad. Typogr. Anno. 1651.*

Reverentia, humanitate & præstantia ornatisimis

V I R I S

DN. ELIAE NICOLAI  
Pastori Neostadien-  
si meritissimo.

DN. OLAO J. LEI-  
STENIO Scholæ Rau-  
moënsis Rectori, civitatisq;  
ejusdem verbi comministro  
fidelissimo.

DN. PETRO ERASMI  
Lib. Baronis, Dn. Johannis  
Orenstierna Årendatori  
in Sundholm maxime cir-  
cumspecto.

DN. MATTHIAE J.  
MELANDRO Pa-  
stori in Phåma vigilan-  
tissimo.

DN. JOHANNI ULM-  
STADIO Rect. Scholæ  
Neostadiensis perindustrio.

DN. JOANNI S. Eg-  
bladh Academæ Aboënsis  
studioso impigerrimo ac a-  
mico suavissimo.

Dominis mecenatibus, Fautoribus, Benefactori-  
bus ac amicis sincero cordis amore & obsequio  
attatem suspiciendis.

Hanc concionem sacram per officiose dedicat,  
inscribit & offert

Respondens,

FERIA TERTIA  
PENTECOSTES.

In Sancte & Summe laudanda TRINITATIS, PATRIS,  
FILII & SPIRITVS SANCTI Nomine.

**E**RITq; postea ut effundam Spiritum meum super o-  
mnem carnem, & prophetabunt filij vestri, &  
filiae vestrae: Seniores vestri somnia somniabunt, juvenes vestri  
visiones videbunt. Quin etiam super servos, & super  
ancillas diebus illis effundens spiritum meum, & edam ostenta  
in cœlis & in terra; Sangvinem, & ignem, & elationes sumi,  
Sol ipse vertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam ve-  
niat dies Iehovæ magnus & reverendus. Eritq; ut quisq; in-  
vocaverit nomen Iehovæ eripiat se: quia in monte Zionis &  
Ierosolyma erit liberatio, quemadmodum dixit Iehova, & in re-  
siduis quos Iehova vocaverit, Ioël. 2. v. 28, ad finem. Ex  
quibus verbis Sanctus Petrus hanc concionem profert:  
Act. 2. v. 17. ad 22. Et erit in novissimis diebus (dicit  
Deus) effundam de spiritu meo super omnem carnem:  
& prophetabunt filii vestri, & filiae vestrae, & juvenes ves-  
tri visiones videbunt, & Seniores vestri somnia somniabun-  
t. Et quidem super servos meos, & super ancillas  
meas in diebus illis effundam de spiritu meo & prophe-  
tabunt. Et dabo prodigia in cœlo supernè, & signa in  
terra infernè, sanguinem & ignem & vaporem sumi.  
Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, ante-  
quam veniat dies ille Domini magnus atq; illustris. Et  
futurum est ut omnis quicunq; invocaverit nomen Do-  
mini servetur.

Hujus effusionis Spiritus S. hoc Pentecostes festo  
memoriam piè celebrat Ecclesia, dirigens ad Spiritum  
S.tum suas laudes, preces & gratiarum actionem. Patre  
& Filio ex quo utroq; Spiritus S.tus procedit minime ex-  
clusis. Dicamus itaq; veni S. Spiritus.

**O** Remus etiam Deum, ut hodiernum festum ita celebrare, Es-  
vangeliumq; ita meditari que amus, ut cedat in nominis dis-  
vini gloriam, nobis in augmentum & incrementum doctrinae,  
& bonorum operum, in spem & fiduciam, & tandem in aeternam  
beautitudinem: Dicamus igitur. Pater noster &c.

### EVANGELIUM Joh, 10 v. 1. ad 11.

**A**Men, amen dico vobis, qui non intrat per ostium  
instabulum ovinum, sed aliunde, ille fur est & latro.  
Qui autem intrat per ostium, pastor est ovinum. Huic  
Ostiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt, & pro-  
prietas oves vocat nominatim, & educit eas. Et  
quum proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves  
illum sequuntur: quia neverunt vocem ejus. Ali-  
num autem non sequuntur, sed refugient ab eo: quia  
non neverunt vocem alienorum. Hoc proverbium  
dixit eis Jesus: illi autem non cognoverunt quae essent  
qua loqueretur eis, Dixit ergo eis iterum Jesus:  
Amen, amen dico vobis, ego sum ostium ovinum, omnes  
quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones  
Sed non audierunt eos oves. Ego sum ostium, per  
me si quis introicerit, servabitur: Et ingredietur &  
egreditur, & pascua inveniet, Fur non venit nisi

ut

*ut furetur, & mactet. ac perdat: Ego veni ut vitam  
habeant & abundantius habeant.*

**O**rditur S. Evangelista Johannes, caput historiæ suæ Evangelicæ decimum, ab hodierno recitato Evangelio. In quo Christus loquitur de ovili, & intrantibus in ovile, non per ostium, sed aliunde quod illi sint fures & latrones. Et quod proprius ovium pastor, non aliunde quam per ostium intrat, idcirco ostiarius ei aperit, hujus etiam vocem oves audiunt, hic pastor etiam nomine vocat suas oves, & educit eas, præcedens eas, audientibus eum ovibus & agnoscensib; vocem ejus, id quod alij peregrino pastori non faciunt. Hæc verba parabolam continere ait S. Evangelista, & non intellectam à Pharisæis qui aderant. Iterum refert S. Evangelista, Christum de se ipso locutum, dixisseq; quod ipse esset ostium ovium, & quod omnes ante eum qui venerint, essent furis & latrones, & quod oves non audierint eos. Hunc sermonem Christus repetit, additq; Ego sum ostium inquit, quicunq; introiverit per me, beatus erit, intrabit & exhibit, & pastum inveniet. Fur non venit nisi ad furandum, mactandum & perdendum: De se vero iterum ait Christus: Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. Confirmatur in hoc Evangelio, Articulus fidei nostræ de Ecclesia, quod recte credamus in Spiritum Sanctum, quod recte credimus, Sanctorum communionem, cuius supremus pastor ipse Christus est. Exitamur etiam ad orandum: Sanctificetur nomen tuum. Da pater cœlestis, Ecclesiæ tuæ ovibus, filij tui salutare animarum pabulum, ut per Christum pastorem nostrum, introemamus in cœlestem aulam, & al veniamur.

P A R T E S.

2. *Quid Christus dicat & loquatur de peregrinis ovium pastoribus.*

2. *Quid dicat de se ipso vero ovium pastore:*

Atq; hæ sunt istæ partes, quas hac vice breviter & simpliciter tractare constituimus: *Omnipotens & aeternus Deus, Pater noster celestis dilectissimus, nobis omnibus benedicat, cunctaque utiliter & fructuose cedere faciat.*

P A R S P R I M A.

In qua meditamur:

1. Occasionem sermonum

Christi, de peregrinis, & proprio ovium pastore. Occasio hæc erat: Curaverat Christus cœcum quendam, à nativitate, hoc malè habebat Phariseos, ita ut postquam variè expostulassent cum eo qui cæcus erat, & ille ascriberet hoc opus Christo, & à Deo illum esse assereret, excluderunt illum à se, quod audiens Jesus: Cum ipsum cæcum à se sanatum jubet esse bono animo, tum in Phariseos invehitur, illos increpando dicens: In judicium ego in hunc mundum veni, ut non videntes videant, & videntes cœci fiant. Hoc iterum Pharisei agrè ferunt dixeruntq; ei: Num & nos cœci sumus? Hisdixit Jesus: Si cœci esletis non haberetis peccatum, nunc vero dicitis quod videmus, ergo peccatum vestrum manet. Postea parabolam hanc proponit, eos lâ: convincens quod cœci essent, licet videre se asserebant, & se cœcos esse negabant.

L.C.

**L. C.** Contradicentes auditores veritati, certis ratio-  
nibus convincendi, eos à vero discedere & errare mon-  
strandum, eo quidem fine & intentione, ut confundan-  
tur in sua audacia & ad agnitionem veritatis perveni-  
ant. Ita respondendū stulto, ne sibi videatur sapere, Prov.  
26. Verū respondendū sapienter; non temerè responde-  
dum non jocandum cum hujusmodi, quod etiam monet  
Salomon in verbis præcedentibus: non respondeas stul-  
to (inquit) Secundum stultitiam ejus, ne stulte stulto re-  
spondeas, ne fias vel videaris illi similis". Jactabant se  
hic Pharisæi de acuto suo visu, hoc est de eximia quadam  
scientia rerum Theologicarum, & ita volebant refutare  
Christum arguentem eos cæcitatibus, itaq; Christus propos-  
nit eis hanc parabolam, quam licet attente, sine dubio au-  
dierunt, ut illam probe intelligerent: verum ut S:tus E-  
vangelista testatur non intellexerunt eam, vel quid vel-  
let Christus hæc parabulā. Caveamus etiam nobis ne  
velimus videri sapientiores esse quam sumus, hoc est,  
quod Salomon dicit: Ne sis sapiens in oculis tuis, Prov. 3.  
Tumida illa sapientia plerumq; cæca est, non est apud su-  
perbos gratia Dei, & sine Dei gratia, nulli datur salutaris  
sapientia; Deus humilibus dat gratiam, superbis vero  
resistit, 1. Pet. 5.

**II. Peregrinorum Pastorum**  
in ovile introitus descripnet: Amen, amen dico vobis,  
qui non ingreditur per ostium in ovile, sed aliundè in-  
trat, ille fur est & latro. Intelligit vero Christus per o-  
vile, Ecclesiam Dei, quæ alibi quoq; in scriptura ovile di-  
citur, & ovili comparatur. Pastores, vocantur Eccles-  
iæ ministri, verbi Dei præcones, Ecclesiæ membra di-  
cuntur oves, Dicuntur etiam ipsi verbi ministri oves,  
qua-

quatenus gravibus persequevutionibus infestantur, sicut à lupis oves. De quo Christus præmonet discipulos dicens: ecce ego mitto vos sicut oves in medio lupo rum, estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbae. Descriptio verò peregrinorum pastorum hæc est: Peregrinus pastor est, cuius non sunt oves propriae, non venit per ostium in ovile, sed aliunde, non venit cum venia ipsius domini, inde etiam ei non aperit ostiarius ostium: Qujā verò ut lupus verius quam pastor ovium carnes & pelles esurit, intrat tamen in ovile alibi & non per ostium.

L. C. Quia per peregrinum pastorem intelligitur Pseudopropheta, falsus doctor, deceptor & seductor apparet etiam, voce introire per januam, intelligendam vocationem legitimam, etiam intrat per januam qui vocatus venit & voce & phrasí non introire per januam, intelligendum non esse vocatum sed sponte currentem. Asserit v. Christus inveniri hujusmodi pastores, qui non exspectant vocationem: Sed ex arrogantiā, præsumptione & ventris causa, Ecclesiæ se obtrudunt. Quare legitima vocatio magni aestimanda ab Ecclesia, tanquam vera probatio verorum & syncerorum doctorum. Ut sic etiam possimus discernere veros doctores à falsis doctoribus, qui sine vocatione venit, mox suspectus esse debet, non præsumendum quod sit verus doctor sed deceptor, id quod Deus ipse docet, dicens: Currebant & non mittebam illos, ideoq; vult eos sedulò vocari. Et Christus de Pseudopropheticis loquens Matth. 7. Hoc eis tribuit, quod veniant non vocati, cavete inquit vobis à Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium intrinsecus v. sunt lupi rapaces.

III, Da-

Sæculo indutum adhuc illi erat invenitum  
-sup

### III. Damni quod inferunt o-

yili vel Ecclesiæ expositionem. Non proflunt Ecclesiæ, immo non exiguum damnum adferunt Ecclesiæ, ejusmodi errores. Hoc indicat Christus dicens: qui non in greditur per ostium in ovile, sed aliundè assendit, fur est & latro.

L. C. Patet quantopere refert nostra, cavere ejusmodi fures & latrones, falsos Propheras vñz. æquidem si vigilat Dominus & possessor domus, sciens adventuros fures & latrones & de consilio contra eos, si non fuerit eis resistendo, se parat cum suis de mesticis: An non multo magis necessarium vigilare, auxilia comparare contra hos spirituales fures & latrones & falsos doctores? si ille vere timendus qui potest perdere non solum corpus, sed etiam animam in inferno; utiq; ij cumprimis caverdi qui possunt nos inducere non in corporis modo, sed etiam animæ æternum exitium. At Sathanas nullo faciliori modo animarū nostrarum exitium parare potest quam per falsos doctores. Hinc illud horrendum hæreticorum venenum quod omnibus mundi temporibus extitit formidabile. Quam necessarium orare: Serva Deus verbum tuum, frage vires hostium. Serva nos in veritate tua, sermo tuus veritas est,

### SECUNDA PARS.

**Q**uam exitiosi sint & nocivi falsi pastores, in prima parte percepimus; in hac altera quanta nobis commoda adfert verus pastor Christus.

In qua meditamur;

I. Christi Appellationem qua  
appel-

appellatur ostium. **Dixit vero fursum eis Iesus:** Amen amen dico vobis quod ego sum ostium ovium, omnes qui ante me venerant, fures sunt & latrones: Sed non adividerunt eos oves. Repetit hanc appellationem Christus: Ego sum ostium, si quis per me introierit salvabitur, & egredietur & pascua inveniet. In prima parte vidi mus, falsum doctorem appellari & esse qui non in greditur in ovile per ostium, hoc est, per legitimam vocacionem ad praedicandum Christum. Nulla enim legitima est, ministri verbi vocatio, nisi quae dirigitur ad sincerè praedicandum Christum, qui enim testantur, de Christo vocantur verbi ministri. Jam recte percipiendum quo modo Christus se vocat januam. In communione loquendi usū, pastor non dicitur ovile nec dicitur ostium ovilis: hic vero Christus se ostium nominat, & paulo post in hoc cap: vocat se quoq; pastorem, ego sum, inquit bonus pastor. Quomodo itaq; hoc nomen potest comprete re Christo, ostium vñz? Christus vocat se viam Joh. 14. Ego inquit sum via, veritas & vita. Est itaq; sensus verborum Christi: Ego sum ostium; Ego sum via, id est, Ego monstruo verum ostium, Ego monstruo veram viam ducentem ad vitam aeternam. In V. T. saepius occurserunt locutiones ejusmodi, ubi Deus dicit se ipsum esse id quod dat, dicit se esse donum illud quod dat hominibus, quod præstat & exhibet: Sic Deus dixit Abrahamo, ambula corā me, & es tu perfectus, ego sū merces tua magna valde, hoc est. Ego dabo tibi mercedē magnā valde, néō tibi Abrahā talē mercedē daturus est, quālē ego dabo **Gē**, 15. v. 1. Itē illic dicit Deus; ego sum protec̄tio tua ne timeas, hoc est. Ego te protegā, ita ut à nemine tā secure protegaris quam à me. Ita David multoties nominat Deum ipsū lucem suam, salutem suam & robur vitae. Psal; 27, 1.

Con-

**Consolationem psal:28. v. 1. Item Psal: 31. v. 4.** Tu es pe-  
tra mea, arx mea. Ad hunc modum loquitur Christus  
in hoc Evangelio. Ego sum ostium per me si quis intro-  
ierit, hoc est, si quis à me vocatus iverit quò ego mitero  
illum, illi bene erit. Christus dicitur ostium ovium, ut  
oves intrent per eum, hoc est, ut eo ingrediantur quo ille  
jubet, non eo iverit quo propria voluptas quo diaboli astu-  
tia, quo mundi perversitas monstrat eundum, vidz. in  
viam latam, ducentem ad perniciem. Ego inquit Chri-  
stus monstrō viam angustam, portā arctam, Sed ducentē  
ad vitā. Contendite incedere per illā viā per portam illam  
Christus itaq; est ostium & via, & quantū ad doctores in Ec-  
clesia, docens nos quomodo legitima sit eorū vocatio,  
& quod ad auditores attinet informāt eos quomodo rectē  
sequantur legitimē ingressos ad oves in ovile.

**L. C.** Christus optimus pastor, & proprius Ecclesiae pa-  
stor, est enim, ovium suarum ostium, perfectissimē mon-  
strat nobis viam ad æternam Salutem. Quapropter à  
Deo patre etiam est renuntiatus supremus doctor Eccle-  
siae in baptismo, voce cœlitus audita; Hic est filius meus  
dilectus hunc audite. Ita recte Nicodemus Christum  
alloquitur: Scimus quod verax es, & viam Dei in veri-  
tate doces, & non potest aliis signa facere quæ tu facis ni-  
si Deus sit cum illo. Hic Nicodemus Christo montran-  
te verum ostium ad vitam æternam in veram Ec-  
clesiam in his terris. Nicodemo fuit ostium dum  
ei monstrat ostium. Quisq; hunc Prophetam qui  
non audierit, ejus anima eradicabitur ē populo suo. Deut  
18. Hæc ita cohærent: Sicut misit me pater inquit Chri-  
stus, ita ego mitto vos, qui vos audit me audit, qui vos  
spernit me spernit, & qui me spernit, spernit etiam patrem  
meum. Dicamus cum discipulis, cum eos interrogaret

Christus vultis & vos abire dicentibus, Domine ad quem  
ibimus verba vitae æternæ habes? Joh. 6.

## II. Eorum qui ante vel contra

Christum venerunt decriptionem. Cum primis notandū quod dicit Christus, omnes qui ante me venerunt, sunt fures & latrones & oves eos non atidiverunt at Oberarunt, de epti sunt & deceperunt alios, qui me non usi sunt pro ostio, deceperunt aliquos verum non omnes, non omnes voci eorum paruerunt, quamvis blanditijs operam dederunt eos in devia adducere, ut illic eos ma-  
ctarent ac perderent. Intelligenda phrasis hæc; Qui ante me venerunt, omnes qui ante me venerunt, hoc est omnes qui se in Ecclesiam ingesserunt pro doctoribus, & de me nihil sciebant, vel scire volebant, iij sunt pessimi deceptores, fures & latrones, auferunt vobis Christum, sine quo omnes conciones mortiferæ sunt, fiunt latrones, occidunt homines, in gehennam eos detrudentes;  
Futuri cum eis in eodem tormento.

L. C. i. Christ⁹ ostiū est, quia ostiū aperit nobis in Ecclesia, ut simus mēbra in Ecclesia, ejus. Christ⁹ ostiū quia ostium aperit ad salutarem pastū, dū in Ecclesia militantes sum⁹, Christ⁹ ostium est, quia mansionū Cœlestiū ostiū nobis a-  
perit. Fuerunt ante Christum, antequam Christus na-  
sceretur in hunc mundum multi sinceri Ecclesiæ docto-  
res ante tempora Mosis, Moses ipse, prophetæ de Christo pie sentientes, quos etiam Christus commendat dicens:  
De me scripsit Moses. Item Assendimus Hierosolymā ut impleantur omnia quæ scripta sunt à prophetis de filio hominis. Videamus omnes, & operam demus ut simus in numero eorum qui Christum ut ostium verum, ut mōstra tem omnia bona, ut nos intromittentem ad omnia bona

bona, ut conferentem omnia bona a nostris, veneremur  
& colamus".

L. G. 2. Christi doctrina non repugnat Spiritui Sancto  
in cordibus nostris, immo Spiritus Sanctus est qui testatur  
cum Spiritu nostro, quod per Christum solum salvemur  
& beati futuri sumus, quod Christi doctrina verissima sit,  
quod non sit aliud nomen sub celo quam nomen Iesu in  
quo salvamur, quod frustra queramus aliud ostium. Non  
habent alij falsi pastores Spiritum Sanctum ostiarium, An-  
teChristus Romanus non habet aperientem ostiarium  
Spiritum Sanctum, sed vi intrusus se in Ecclesiam in tem-  
plum Dei, verum non sic tamen habet testimonium quod  
verus sit pastor. Magna multitudo in mundo quam  
regit Spiritus Sanctus, pernegat hunc esse pastorem, vel  
fuisse unquam, sed furem & latronem: Turcae & Mao-  
metistae non habent ostiarium Spiritum Sanctum, nun-  
quam ornantur testimonio Spiritus Sancti, quod illi sint  
veri & boni pastores, Sed audiunt fures & latrones, quia  
veniunt ante Christum, spurnunt & contemnunt Chri-  
stum. Fugiamus omnes qui Spiritum Sanctum non habent  
ostia de quibus in verbo Spiritus Sanctus non clamat  
quod habent Christum pro ostio, & quod sequuntur Chri-  
stum ducem, & qui ipsimet testantur se Christum flocci  
facere. Ostulti & facinati a Diabulo homines qui non  
deprehendunt quam eacum sequuntur, ducem videlicet  
proprium intellectum nolentes illum captivare in obse-  
quium Christi.

### III. Officij pastoralis Christi

descriptione i. Christus familiariter conversatur cum ovibus  
suis, hic pastor Christus siquidem omnia nomina ovium

tenet, sunt illa scripta in cælo ut nemo ex hoc libro nomis-  
na eorum delere queat. Cum reversi essent septuaginta  
discipuli Christi, summoperè lætantes quod etiam Dæ-  
monia illis in nomine Christi essent subiecta, respondet  
Christus: Gaudete non tantopere quod immundi illi  
Spiritu vobis sint subiecti, sed quod nō in vestra scripta sūt  
in cælis Matth: ii. Et summa nobis hinc est consolatio,  
quod in hoc mundo singuli ita sumus Christo noti, ut no-  
mine proprio nos vocari queat cum velit. Sic angeli  
custodes nostri, nomina nostra, nō verū, sūt nō in nostra  
jugiter in conspectu Dei, siquidem angeli nostri vident  
semper faciem patris cœlestis. Unde Christus vetat etiā  
contemni parvulos quod habent angelos suos qui sem-  
per vident faciem patris cœlestis. Matth. 18. 2. Christus  
educit suas oves, præcedit eas, Christus educit nos primo  
in hunc mundum, extrahit nos ex utero materno, intro-  
ducit in Ecclesiam per regenerationem Spiritus Sancti  
Joh. 3. Accendit lucem verbī sui, monstrat viam qua in  
cedendum. Quam periculosa lata illa via & multi am-  
bulant in ea, quod ducat illa ad æternam perniciem cor-  
poris & animæ: monstrat viam illam angustam, jubet  
non offendere & retrocedere ab ea, licet pauci in illa ambu-  
lent, licet sit salebrosa & angusta, dicit illa tandem ad jus-  
cundissimum hospitium, ad cœlestia tabernacula ad pa-  
radisum, in sinum Abrahæ ubi claritas & misericordia  
Domini manebit semper in omnem æternitatem.  
Præcedit nos in omni afflictione & rebus adversis. O-  
stendit passionis ejus historię quam multa propter nos  
passus, vult ut simus illius imitatores in passione quæ tu-  
in nobis levis est, & vix comparanda cum passione Chri-  
sti ut regnemus cum eo, si enim patiamur cum eo, ves-  
tum est quod etiam regnemus cum eo; Cum itaq; Chri-  
stus

stus pastor noster tantopere oves suas diligit.  
Item tam sedulò foveat, tantoperè earum commodum  
promoveat, itaq; ovium est officium & debi-  
tum ut eum sequantur diligant, ejus vocem præferant  
cujusvis alias voci, non sequantur sed fugiant peregrinos  
pastores qui student nos decipere, & segregare à Chri-  
sto, ne unquam delectemur eorum voce. Sonet vox  
tua Christe in auribus meis, illa nos delectet illa nos tra-  
hat in aeterna & cælestia pascua. Cant. 2, v: 14.

L. C. Merito Christus dicit se esse bonum pastorem,  
ut audiēus Dominica Secūda post ferias Paſcatos dicens:  
ego sum pastor bonus &c. Nos itidem fatemur ilo-  
rum esse vere bonum pastore letamur & exultamus de ta-  
li pastore dicentes Ex Psal. 23, Dominus pastor me-  
us &c.

**T**E Domine Iesu Christe caput nostrum qui omnia  
in omnibus adimplies supliciter rogamus, ut nos  
miseros oves tuas vocem tuam audientes in hujus  
mundi decreto errantes & luporum faucibus exposi-  
tas ad te balantes exaudiias, pascas, protegas & ser-  
vas, & vitam aeternam nobis dones, qui cum patre  
& Spiritu Sancto Deus unus, verus & vivus es lau-  
dandus in secula.

Benedictio, & Claritas & Sapientia, & Gratiarum actio, & Honor, & Vir-  
tus, & Fortitudo, DEO nostro, in Secula seculorum, Amen. Apoc. 7:12.

## Q U A E S T I O N E S

**A**N Christus possit dici osium propter immisionem  
emissionem munitionem? Affir.

Ime

Immittit enim nos primum in Ecclesiam, ablutos  
per baptismum regenerationis, tanquam per primum  
gratiæ cœlestis portam; Sicut Levitas quondam ad  
ostium tabernaculi lavari prius oportebat, Exod: 30. 20.  
Quando ingredientur Ecclesiam lavabunt se aquâ &  
non morientur ( Aaron & filij ejus ) 2. immittit nos  
ad Thronom gratia Heb. 4. 16. Per ipsum enim nobis  
accessus ad Deum. Rom. 5. 2. Ephes: 3. 12. 3. Immittit  
nos tandem in cœlestem patriam, reserata paradisi janua  
Joh: 14. 3.

II. Emittit nos vincos de Cisterna in qua non est  
aqua Zach: 9. II. Emittit nos tandem placide è carcere  
vitæ hujus, quia ipsi ad mortem sunt exitus. Psal: 68. 21.

III. Munit vero & protegit nos contra diluvium iræ  
cœlestis; sicut ostium arcae à Deo clausum Neam pro-  
tegebat ab aquis diluvij Gen. 7. 16, Et sicut angelus  
Lothi ostium claudens liberabat eum Gen: 19. 10. Ita  
novit suos eripere è temptationibus 1. Petri 2. 9. 10. Nazi-  
anz: Orat: 36. De Christo.

2. *Si Christus ostium, num etiam per se ipsum in-  
grediatur? Respondet Greg: Magnus hom: 15. in  
Ezech. Cum electi inquit, quiquè ad vitam perveniunt,  
quia membra ejus per eam intrant ad eum, ipse  
per se intrat per se; Ipse enim in suis  
membris est, qui intrat; Ipse caput ad  
quod intrantia membra perveniunt.*